



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm  
Passionvm, Prauorumque affectuum**

**Fazio, Giulio**

**Köln, 1604**

De tertio Mortificationis effectu, qui est voluntarius de spiritualibus &  
grauibus rebus sermo. XXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

legem requirunt ex ore eius, Quia Angelus Domini exercituum est. Quæ verba nihil aliud significare videntur, quàm Ecclesiasticorum vitam, Angelorum vitæ similem esse debere: cum illis incumbat alios docere verbis id, quod ipsis iuxta legem Dei credendum, atque opere ipso exercendum est. Neque vlllo vnquam modo committant, vt sinistra aliqua intentione aut opere rectitudo ac sanctitas eius officij profanetur, quod ipsis à Domino Deo concredatum est.

## CPPVT XXII.

De tertio Mortificationis effectu. An, qui est voluntarius de spiritalibus & gratuitis rebus seruus.

Sophron.  
in pratio  
spiritali  
cap. 143.

**N**ARRAT B. Sophronius Hierosolymensis Episcopus de celebri quodam latronum duce David nomine, qui postquam multos annos in regione Hermapolitana publicis ac maximis latrocinij exegisset, commotus tandem diuinitus statuit mutare vitam ac Religiosum statum amplecti, atque ita relictis socijs, venit ad celebre quoddam illius loci Monasterium, habitum petens, quem, cum post multas difficultates & repulsas, tandem obtinuisset, ita ex animo se religiose obseruantia ac penitentia dedit, vt

DE MORTIFICAT. 187

brevi, cunctis obstupescens, ad tantam pervenerit sanctitatem, ut Angelum conspectu & alloquio dignus fuerit habitus, à quo bono animo esse iussus est, non solum enim peccatorum suorum veniam, sed peculiarem, etiam gratiam, magna & mira ad Dei obsequium agendi sibi à Deo concessam esse.

Cum autem David Angeli verbis credere nollet, neque enim fieri posse putabat, ut tam exiguis poenitentiae operibus Deus flexus, veniam sibi tam facile enormium suorum peccatorum concessisset: Angelus similem ei sententiam protulit, quam olim Zacharias ob incredulitatem audire compulsus est: ipsum nempe ilico linguae usu priuatum iri: Quod audiens David atque erroris iam poenitens in terram se mox prostravit, & exclamans cum lachrymis dixit. Et qui ferre Domine Deus unquam possum, ut dum essem in seculo latro, linguam habuissem ad offendendum te tot tantisque peccatis, nunc autem in Religione constitutus ad te laudandum ac benedicendum sim eiusdem usu destitutus? Ad hæc Angelus prolata anteà sententiam mitigans, respondit: ipsi quidem loquelam concessam esse, sed ad laudandum Deum, & psallendum in choro: ceterum in alijs

omni-

omnino mutum fieri debere. Quod & factum est, nam in posterum David ille in omnibus, præterquam in laudibus & benedictionibus sacris, elinguis omnino fuit & mutus.

Ex hac historia hoc mihi observandum videtur, quod si huius temporis homines tales haberent linguas, quales iste David, ita ut nihil aliud, quam laudes Dei ac hymnos pronunciare possent, superuacuum esset illis persuadere velle, ut inter se frequenter mutua de rebus bonis & pijs colloquia instituerent, Verùm quia linguæ nostræ, ut, pro dolor, nimis perspicuum est, sunt ex se plus satis liberæ, & ex naturæ nostræ corruptione, prauaque consuetudine multo faciliores ac promptiores ad detractiones, periuria & blasphemias, quàm ad Dei laudes: cogimur nec statim mediâ quædam rationesque inuestigare, quibus doceamur, quanti sit momenti, quantæque utilitatis, ut homines, præsertim Religiosi ac spirituales, assuescant frequenter de rebus ad Dei cultum, & ad ipsorum aliorumque profectum spectantibus inter se colloqui.

Mirandum autem planè est, quod cum homines aliàs natura sua eò propendeat, ut tractent & loquantur crebrò de rebus arti ac professioni suæ consentaneis, ut

etiam

DE MORTIFICAT. 189

etiam huic proverbio locum dederint:  
*Tractant fabrilia fabri:* apud Religiosos ta-  
men, apud quos maximè id factum o-  
portuit: id vel maximè non fiat. Quid  
enim religiosis convenientius, quàm  
de rebus spiritualibus ac Religiosis, quæ  
scilicet statum & professionem eorum  
concernunt, tractare; idque eò libentius &  
studiosius ab illic præstari deberet, quò res  
spirituales sunt alijs præstantiores, fructus-  
que qui ex his colloquijs colligi solent, v-  
beriores & excellentiores. Qui enim ma-  
scum, aut alias res odoríferas manu tenet,  
quò magis eas tractat & versat, eò plus  
sentit odoris, magisque corroboratur: Ita  
quoque, quò frequentius de rebus spiritua-  
libus disseritur, utpote in se suavissimis: eò  
maius anima nostra haurit solatium & ro-  
bur.

Neque aliunde video hunc provenire  
errorem, nisi ex defectu Mortificationis,  
valdeque exiguo affectu erga res spiritua-  
les. Ex defectu dico Mortificationis, quia  
quemadmodum vocum ac sonorum dis-  
sonantia ex fidibus malè temperatis pro-  
ficiscitur: ita ex immortificatione & incõ-  
positione fidium, hoc est, passionum &  
perturbationum animi nostri, sermonum  
nostrorum dissonantia procedit. Et quem-  
admodum mare ventis agitatum perpe-  
tuum

tuum edit murmur, magnamque tum  
algæ, tum aliarum sordium eijcit co-  
piam: Ita animus malè compositus &  
passionibus agitated communitè ex ore,  
futilium & inanium verborum infinitam  
copiam magno cum strepitu emittit. Nam  
cum lingua sit quasi animi idea & imago:  
talem quis se plerumque sermone ostendit,  
qualis est in animo. Hinc bene dixit Hu-  
go de S. Victore: *Mores hominum lingua  
pandit, & qualis sermo ostenditur, talis animus  
approbatur.* Et sicut aqua ordinariè solet il-  
lius terræ inducere qualitatem, per quam  
transit: Sic humanus sermo ab intellectu,  
voluntate, sensuque nostro profluens, ne-  
cessariò patefaciet, utrū istæ potentia, et-  
roribus, affectibus inordinatis, pravisque  
passionibus sint infectæ. Hinc merito de-  
cimus: benè & ordinatè loqui, esse animi  
bene compositi ac mortificati effectum:  
sicut è contrariò, malè loqui, animi in-  
mortificati ac malè compositi argumen-  
tum.

Quod item defectus hic apud Religio-  
sos, non libenter scilicet loqui de rebus  
Religioso statimque spirituali convenien-  
tibus: ex modico affectu erga huiusmodi  
res proueniat, manifestè ostendi potest.  
Verissimum est enim illud Platonis dictum,  
*homines amore ipso fieri facundos & eloquentes*

Hugoli.  
2. de A-  
nima.

DE MORTIFICAT. 191

tes ad loquendum de rebus, quas amant. Vnde si in nobis vigeret sanctus ille rerū diuinarum amor, essemus certè in huiusmodi colloquijs eloquentissimi. Et quemadmodum in compositis naturalibus, elemētum prædominans trahit omnia alia elementa ad illum locum & centrum, quod naturaliter appetit: quod in lignis etiam maximis apparet, quæ semper a quæ superant ob aëris elementum in eis prædominās. Ita si amor spiritus in nobis, vt par est, prædominaretur, attraheret sine dubio mentem & linguam nostram: illam, vt cogitaret: hanc, vt loqueretur assidue de rebus spiritualibus diuinisquæ, quas appetit & desiderat.

Et sicut, qui muscum aut rem odoriferam tractat, non potest, non odorem suū prodere: ita quoque in cuius corde Sanctus Dei amor residet, is hunc occultare non potest. Sicut is, qui fert aromata, inquit Climachus, etiam si nolit, ex odore proditur: ita & qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur. Neque ideo hic defectus amoris aliquem excusare potest, quo minus de rebus loquatur spiritualibus, imò hoc ipso magis ad hoc obligatur, cum nulla alia sit causa, quare quis ea, quæ naturæ sua bona sunt, minus amet, quam eorum ignorantia. Nemo enim diligere potest  
bonum

Clim. in  
compend.  
recapit.  
grad. 26.

bonum, quod nescit, ait D. Chrysostomus. Ut

S. Chrys.  
sup. Mat.

autem frequens de rebus spiritualibus sermo efficit, ut cognoscantur, ita efficit etiam, ut amentur, quo amore spiritualium huiusmodi colloquia non solum redduntur facilia, sed etiam dulcia & iucunda, ita ut aliquando ex intimo corde cum Domino exclamaturi simus: *Quam dulcia fuerunt meis eloquia tua, super mel ori meo.*

Psal. 118.

Quod sancta Dei famula Scholastica

S. Greg.

li. 2. Dialog.  
log. c. 35.

experta est, quando transacta cum fratre suo benedicto in Dei laudibus, spiritualibusque collationibus integra die, tantam consolationem spiritus ac dulcedinem inde percepit, ut fratrem obnixè rogauerit, ne imminente iam nocte ad suum rediret Monasterium, sed unâ secum in eadem exercitatione illam noctem insumeret. Cuius precibus cum ille nequaquam vellet acquiescere, quod à fratre non poterat, Deo impetrauit. Subito enim tanta vis mirabilium, licet serenissimo antea caelo, exortus est, ut ille cum sorore sua manere coactus sit. Sicque factum est, inquit S. Gregorius, ut totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritualis vitae colloquia, sese vicaria collatione satiarent.

Hoc idem S. Augustinus expertus est, qui cum quadam die de rebus spiritualibus cum matre sua S. Monica tractaret,

canon



DE MORTIFICAT. 193

ante mentis illuminatio, ardorq; spiritus  
 in virisq; ex illo colloquio exstitit, ut illos  
 subito huius vite, omniumque delectatio-  
 num maxima nausea ceperit. *Tusci Domine,*  
*quod in illo die, cum talia loqueremur, &*  
*mundus iste inter verba vilesceret, cum omni-*  
*um delectationibus suis, dicebat D. Augusti-*  
*nus. Matrem quoque suam Monicā, ait ar-*  
*dentissimo quodā alterius vitæ desiderio*  
*permoīa in hæc verba prorupisse: Fili,*  
*quantum ad me attinet, nullare iam delector*  
*in hac vita. Quid hęc faciam adhuc, & cur hęc*  
*fieri nescio.*

Eundē denique effectum senserunt duo  
 illi discipuli euntes in Emaus, cū inter sa- *LUC. 24*  
 cræ Christi passionis, aliarumq; rerū diui-  
 narum colloquia, ita interior illustrati, in-  
 flammatiq; sunt, ut post eius discessum in-  
 credibili quodā admiratione commoti di-  
 xerint: *Nōne cor nostrum ardēs erat, dum lo-*  
*queretur nobis in via? Quamuis autem non-*  
*nunquam possit contingere, ut neque vllū*  
*in nobis sentiamus gustum, ex huiusmodi*  
*sermonibus, nec quicquā eorū, quæ dicta*  
*sunt, mēte retineamus, ipsa tamen nuda at-*  
*tentio, suo nō carebit fructu: quemadmo-*  
*dū qui aquam ex flumine cribro peteret,*  
*quamuis omnis illa rursus efflueret, ipsum*  
*in cribrū, saltem breui eo tempore ma-*  
*defactum esset: Ita dico, licet nobis certō*  
 consta-

constaret, omnia dicta spiritualia altera  
 autem percepta per alteram, ut vulgò dici-  
 tur, iterum elabi, ita ut nihil eorum me-  
 moria retineretur, hoc ipso tamen tempus  
 illud non malè collocari iudicandū, cum  
 saltem, ex transitu quasi huius sacri liquo-  
 ris anima nostra ita recreari possit, ut po-  
 stea eorum quæ Dei sunt magis capax fiat,  
 minusq; difficultatis in rebus diuinis sen-  
 tiant, tartareisque hostium insultibus ma-  
 iore vi resistere possit, ut manifesta docet  
 experientia.

*Cassian.  
 Collat. 22.  
 cap. 1.*

Quod quidem inter præcipuos spiritua-  
 lis vitæ fructus, meritò numerandum est,  
 cui & ille fructus adiungi potest, quem il-  
 le ipse, qui de rebus spiritualibus sermo-  
 nem facit, percipere solet, qui certè maxi-  
 mus est, ut ostendit apud Cassianum Theo-  
 nas, qui rogatus, ut spiritualemente  
 sermonem, quod inter illos sanctos patrum  
 valdè vsitatum erat, respondit; se illorum  
 petitioni libentissimè satisfacere, quando  
 quidem re ipsa experiretur, quod quanto  
 plus de hac materia loqueretur, tanto ma-  
 gis sibi saperet, quodque ex mutua sermo-  
 num huiusmodi communicatione, auscul-  
 tans ditior fieret; Verba verò faciens mul-  
 tum inde lucri reportare. Grata namque est  
 huius sermoris occupatio, aiebat, que maior  
 cum soluitur, argumenta conquirat, & non  
 ipse

DE MORTIFICAT. 195

liam percipientem ditat, verum etiam nihil im-  
minuit largienti. Duplices siquidem congregat  
questus rerum spiritualium dispensator; lucrum  
enim non salum in illius, qui audit, profectu,  
verum etiam in sua disputatione consequitur;  
non minus semetipsum ad desiderium perfectio-  
nis accendens, dum instruit auditorem.

Experimento didicit hoc venerandus  
quidam Eremita, de quo Ioannes Mona-  
chus narrat, eum aliquando graui quadam  
tentatione exagitatum mundum repe-  
tere statuisse, hocque consilio cum se de-  
disset itineri, nocte interceptum, in vicino  
quodam Monasterio Monacho quasiuisi-  
le hospitium, & ab illis patribus magna  
cum charitate ac lætitia exceptum fuisse,  
quippe ad quos iam antea de ipsius vita ac  
sanctis morib. fama peruenerat. Cum ita-  
que non nihil quiescisset, petierunt, inquit  
ille, ab eo Patres illi magnis precibus, ut de reb.  
spiritualib. verba faceret, qui licet nihil minus  
quã de spiritualibus reb. cogitaret, ne tamen il-  
lis esset scandalo, coactus est petitioni morè ge-  
nere. Quid fit? inter loquendum Dei miseri-  
cordia accidit, ut quibus tunc verbis alios  
exhorabatur, iisdem ipse commotus a deo sit,  
ut statuerit ad propriam redire cellam, & anti-  
quam viuendi statum maiori cum feruore re-  
sumere, quod & fecit. Hinc constat, Patrem  
hunc ex proprio sermone maiorem percepisse

In vitis  
Patrium.

S. Bonavent. lib. de Informat, Nomin. c. 18.

fructum, quàm alios, qui ipsum audierat. Idcirco S. Bonaventura suos fratres Religiosos tantoperè exhortatur: dicens: Deo libenter loquere, & libentius audi, quia excitat cor ad studium virtutis, & ad affectum deuotionis.

Cass. lib. 5. de Inst. ca. 31.

Verū quia dæmon manifestis ac diuini obseruationibus verissimū esse cognouit, quod hactenus dictū est, omnibus modis atq; stratagematis, tanquā miles peritissimus, hoc exercitium tam sanctum impedire & auertere conatur: Quare quando aliter nō potest, solet, nescio quam capitā grauedinē ac somnum immittere, ve vel omnino nō percipiantur ea, quæ dicuntur, vel saltem non debita animi attentione & affectione. Fidem huius rei nobis facit sanctus ille senex Macheses, qui cum aliquando ad quosdā Monachos spiritualē haberet sermonē, omniumque eorum oculos somno grauatos esse atq; ita frustra se loqui cerneret: volēs illis occultas dæmonis insidias aperire, institutū reliquit sermonem, & lepidā quandā illis coepit narrare fabulam, ad cuius narrationem cū eos confestim euigilasse, atque arrectis auribus adesse vidisset, ingemiscens ait: Nunc usque de spiritualibus loquēbamur, & omnia vestrum oculi letali dormitatione deprimebantur, ac cū otiosa fabula intrmissa est, omnes

expergefatti torporem somni dominantis ex-  
 ciſimus. *Ve*lex hoc ergo perpendite, quiſnam  
 collationis illius ſpiritualis fuerit impugnator,  
 & quis huius infructuoſe atque carnalis inſi-  
 nuator exiſtat.

Neq; verò tunc primum Machetes hanc  
 tartarei inimici aſtutiam cognouiſſe cre-  
 dendus eſt, ſed dudū antea, vt de ipſo Caſ-  
 ſianus refert. *Vidimus*, inquit, ſenē Machetē  
 nomine, hanc à Domino gratiam diuturnis pre-  
 cibus impetraſſe, vt quotquot diebus & nocti-  
 bus agigaretur collatio ſpiritualis, nunquam ſo-  
 mni torpore laxaretur; ſi quis verò detractionis  
 verbum, ſeu otioſum tentaret inferre, in ſo-  
 mnium protinus concidebat.

*Cassian.  
 lib. 5. In-  
 ſtit. c. 29.*

Ex quo planum fit, Machetem non ſo-  
 lum S. Pauli conſilium obſeruaviſſe, cum ad  
 Ephēſios ſcribit: *Omniſ ſermo malus ex ore*  
*veſtro non procedat*, cauendo ſcilicet; ne vl-  
 lum verbum malum ſibi excideret, ſed ne-  
 que ab alijs prolatum audire potuiſſe. Ne-  
 que facile dixerim, quænam maior fuerit  
 gratia, illane quæ Dauidi illi fuit à Deo  
 conceſſa, de quo in principio huius capituli  
 diximus, qui nullum aliud potuit verbum  
 proferre, quàm quod directè cederet in Dei  
 laudem ac benediſtionē: an verò hæc ipſa,  
 quæ Macheti contigiſſe iã dicebamus, qui  
 nullū detractionis, vanumque & otioſum  
 verbum

*Ephes. 4.*

verbum ad aures admittere potuit: Verumque enim dum sumus in hoc mundo æquè est necessarium, vt scilicet & pijs sermonibus vacemus, & à malis diligentissimè, abstineamus.

*S. Basil.  
Reg. bre-  
uior c. 26.*

Hinc interrogatus aliquando Sanctus Basilius, vter eorum grauiori pœna esset dignus, illene qui detrahit, an verò is, qui auscultat & tolerat: Respondit; *Exterminandi sunt ambo à societate reliquorum; detractor, quia non loquitur, quæ debet, attendens, quia audit ea, quæ non conuenit audire.* Neque verò vlli nimis rigida hæc Sancti Basiliij pœna videri debet: Quia

*Leuit. 3.*

si Deus hanc leprosis pœnam imposuit, vt à consortio hominum segregarentur: *Omni tempore, inquit, quo, quisquam leprosus est, & immundus, solus habuabit extra castra.* quanto conuenientius hæc pœna detractoribus irrogatur, cum hæc altera corporali lepra sit multo perniciosior & excrucibilior, neque solum in superficie cutis hæreat, sed de corrupto quodam vitiatoque principio interiori producat, neque ipsum solum, sed & auscultantem inficiat, cumque & ei, cui detrahitur, noxia, atque adeò Deo ipsi abominabilis sit.

Meritò igitur hæc lepra, tanquam omnium malorum radix, & veræ vniuersitatis frater

DE MORTIFICAT. 199

fraternæque charitatis extirpatrix, quæ  
 tantoperè in omni Religione est necessa-  
 ria, à finibus nostris procul exterminanda  
 est. Et quemadmodum Deus voluit, vt le-  
 prosus propria sua veste os suum obtege-  
 ret, ne halitus sui contagione aërem infi-  
 ceret: ita oportet omnem Religiosum  
 os suum propria sua veste obstruere; Volo  
 dicere, vt consideratione suæ obligatio-  
 nis, quam Religioso suo habitu præ se  
 fert, obturet os suum, ne inde pestife-  
 rum detractionis halitum exhalet, ne-  
 que vnquam aures præbeat detractioni-  
 bus, ne fortè & ipse hac exitiali lepra  
 inficiatur; simulque intelligat, quod sic  
 ut illi, qui nativam suam & vernaculam  
 linguam, crassam & impolitam dedif-  
 cere cupit, vt addiscat elegantiorè &  
 politiorè, non modò à propria lin-  
 gua abstinendum est; sed & omnes fu-  
 giendi sunt, quibus illa lingua fami-  
 liaris est: Ita quicumque serio turpem  
 hunc loquendi modum, hoc est, mur-  
 murandi & detrahendi consuetudinem  
 dediscere cupit, non solum ab huiusmo-  
 di murmurationibus & detractionibus  
 abstinere, sed neque murmurantibus &  
 detrahentibus, illo modo aures præ-  
 bere debet: conetur autem potius ex-  
 ercere se assidue in cœlesti & gloriosa illa  
 lingua,

I. A. lingua,

200 DE MORTIFICAT.  
lingua, qua beati in altera vita laudant  
& benedicunt dominum, & notam fa-  
ciunt filijs hominum potentiam suam,  
& gloriam magnificentie regni sui  
ac misericordiarum sua-  
rum.

E I N I S.

